Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

ad celestia promissa te ducente peruenire mereatur. Qui uiuis et re.
In noua dedicatione. Cantus per omnia sicut supra. Collecta. Deus
qui inuisibiliter omnia contines et tamen pro salute generis humani signa
tue potencie uisibiliter ostendis templum hoc potencia tue inha-
bitacionis illustra ut omnes qui huc deprecaturi conueniunt ex quacumque
tribulacione ad te clamauerint consolacionis tue beneficia consequantur. Per.
Epistola. Vidi ciuitatem ut supra ad leuandum. Secundum lucam.
In illo tempore. Ingressus ihesus perambulabat iericho. Et
ecce uir nomine zacheus et hic erat princeps publicanorum et ipse
diues. Et querebat ihesum uidere quis esset et non poterat pre turba
quia statura pusillus erat. Et precurrens ascendit in arborem
sicomorum ut uideret illum quia inde erat transiturus. Et cum ue-
nisset ad locum suspiciens ihesus uidit illum et dixit ad eum. Za-
chee festinans descende quia hodie in domo tua oportet me
manere. Et festinans descendit et excepit illum gaudens. Et
cum uiderent omnes murmurabant dicentes quod ad hominem
peccatorem diuertisset. Stans autem zacheus dixit ad ihesum.
Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus et siquid ali-
quem defraudaui reddo quadruplum. Ait ihesus ad eum. Quia
hodie salus domui huic facta est eo quod et ipse filius sit abra-
he. Venit enim filius hominis querere et saluum facere quod perierat.
Secreta. Omnipotens sempiterne deus altare hoc nomini tuo dedicatum
celestis uirtutis benedictione sanctifica et omnibus in te sperantibus
auxilium tui muneris ostende ut hic sacramentorum uirtus et uotorum obti-
neatur effectus. Per. Compl. Omnipotens deus ut in hoc loco nomini
tuo dicato cunctis petentibus aures tue pietatis accommodare
digneris. Per dominum nostrum. Item In dedicatione altaris. Introitus.